

I. N. I. A.
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
TRIBUS TENTATIO-
NIBUS

QUIBUS
CHRISTUM

SATANAS AGGRESSUS EST

Matth. IV, 1. seqq. Marc. I, 12. 13. & Luc. IV, 1. seqq.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

MAGNIFICI, SUMME REVERENDI, AMPLIS-
SIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS Deutschmann/
SS. THEOL. DOCT. LONGE CELEBERRIMI,

EJUSDEM FACULTATIS PROFESSORIS PUBLICI ME-
RITISSIMI, ELECTORAL. ALUMN. EPHORI
GRAVISSIMI, & p. t. DECANI
SPECTATISSIMI,

AD DIEM 20. OCTOBR. St. Vet. ANNO M DC LXXIX.

IN AUDITORIO MAJORI

PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI PUBLICÆ SUBMISSA

M. DAVID Heermann / Gorlicio-Lufato,
AUTORE & RESPONDENTE.

Wittenb. Typis Joh. Borchardi Acad. Typogr. Excudebat Simon Heberhirt.

oll. diss. A
S 62, 28

57. A 162 (29)

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis,
Consultissimis, splendore generis, virtute, eruditione, prudentia
& rerum usu praeclarissimis,*

Dnīs CONSULIBUS,

Dno PRÆTORI,

Dno SYNDICO,

Dno SECRETARIO,

Dnīs SCABINIS,

Reliquisque Dominis celeberrimæ Gorlicensium Rei-
publicæ SENATORIBUS gravissimis,
felicissimis

*Dominis, Patronis, Evergetis, Fautoribus ac summis
Promotoribus nullo non honoris, amoris ac obser-
vantia cultu ac vultu etatem prosequendis, de-
venerandis,*

Hanc Disputationem Academicam gratitudinis alicujus
contestandæ ergo eâ quâ par fuit animi submissione
dare, dicere, consecrare voluit ac debuit, additis pre-
cibus, velint hoc quicquid speciminis animo ac vultu
benigno ac sereno excipere, suumq; clientem subje-
ctissimum benigniori memoriæ ac favori, quem hanc
ita pridem effectu non satis laudando atque celebra-
do declarare inceperunt, cum officiis meis promptis
ac paratis, ulteriori clementer inclusum habere ne-
dedignentur.

Humillimus & devotissimus cliens

M. DAVID Heermann.





Q. D. B. V.

PRÆAMBULUM.



Vanquam extra omne dubium positum esse novi, quamplurimos, eosq; ferè innumeros exstare Scripores, qui præsentem nostram materiam luculentissimè expositam dederunt, & omnes difficultates suis laboribus dimovisse videntur, alii ipsas Res probè attendendo, alii paucis illis intenti ad Usum potissimum & emolumentum Ecclesiæ respiciendo, alii nervum disputationis diaboli & Christi accuratè evolvendo, & ad hodiernum statum, quomodo cum Sophistis disputandum, applicando, quo in genere vel maximè excelluit *Andreas Godofredus Ammon*, Gymnasii antea Stetinensis Carolini Rector, postea Capituli Wünstorpiensis Senior ac Superintendens, in Disputatione Inaugurali, habita in Academia Gryphiswaldensi, alii alio modo rotam historiam pertractando: attamen neminem præsentis historię difficultatem negare confido, dummodo illam oculo paulò sagaciori perlustrarit. Prodiret totius nostræ Germaniæ Præceptor, *Melanchthon*, & sententiam suam hac de re pronunciatet, gravitatem ejusdem agnosceret, & ipsissima sua verba repeteret dicendo: *Lectio hæc argumentum admodum sublime habet, cujus explicatio valde est difficilis, cum tentationes Christi describat, vel adumbret potius, quas mediocriter saltem intelligere non est cujusvis, modò ullius.* Nec minus venerandus ille senex in Valle Joachimica *M. Johannes Matthæus* calculum suum adjiceret, siquidem Postill. f. 79. hunc in modum: *Dis ist der wunderbahren Historien eine / so in der Bibel geschrieben ist / und kein Mensch kan diesen Kampff und Streit genungsam betrachten / unser GOTT aber lässet solches seiner Christenheit zur Lehr / und Trost fürschrreiben / damit wir die Bosheit / Mache und Geschwindigkeit des leidigen Satans*

Satan's hieraus erkennen und bey Leib und Leben nicht sicher sein in
unserm Christenthumb und das wir uns aus des Herrn Christi Sieg
und Ueberwindung trösten und aus seinem Exempel rüsten lernen/wenn
uns der Satan auch listiglich und mörderlich angreiffe. Quanto-
perè etiam permulti alii vires suas imbecilliores istis probe exponendis
atq; intelligendis existimarint, silentio involvere malo, quam allegando
his immorari. Quibus observatis ego ingenuè fateor, quod mox à pro-
posito manum abstraxissem, nisi vel semel ista materia arrisisset, vel im-
becillitas ingenii à difficultate materiæ absterri prohibuisset. Quare
quò difficiliora in præsentì historia consideranda veniunt, eò confiden-
tior factus, confidens, fore ut si minus in ea dilucidè & appositè versatus
fuerim, nec cuiuslibet voto satis fecerim, in bonam mihi nemo sit non
interpretaturus partem. Ut verò B. L. intelligat, quomodo præsentem
materiam tractaturus sim, in limine hoc statim admoneo, me omnes cir-
cumstantias (hoc enim nimis prolixum foret) non observare, sed tan-
tùm tentationes, quibus diabolus Christum attentavit, & illarum præ-
primis Locum & Actum, disquisitioni submittere. Et quum Christum
tria tentationum genera à diabolo sustinuisse Evangelistæ doceant, cui-
bet etiam tentationi certum aliquod Caput destinavi, ita ut Caput pri-
mum Primam, secundum Caput Secundam, & tertium Caput Tertiam
considerer tentationem. In qualibet autem tentatione, ut jam dixi, duæ
circumstantiæ, nempe Loci & Actus, præprimis considerandæ venient.
Videbimus proinde in Capite primo, tentasse diabolum Christum ita, ut
in deserto Christus constitutus, & fame fermè confectus, lapides in pa-
nes convertere, in Capite secundo, ut e pinnaculo templi in abyssum
sele præcipitare, in Capite tertio, ut divinum honorem diabolo exhibere
deberet. Quæ omnes tentationes, quamvis horrendæ & gravissimæ, à
Christo patienter fuerunt acceptæ felicissimeq; tandem omnes superatæ.
Atq; de his paulisper loquemur.

*Tu verò summe DEUS, benedicito labori huic, ut gravissimas tentationes
diaboli ritè contemplemur, patientiam Salvatoris nostri devotè ad-
miremur, deque gloriosâ victoriâ Christi nobis iugiter congratule-
mur. Amen!*

CAP.



CAPUT I.

DE

Tentatione, quâ diabolus à Christo efflagitavit, ut lapides in panes converteret.

§. I.

HOc ipsum antequam aggrediamur, operæ pretium esse speramus, si in frontispicio statim istam controversiam contemplemur, quæ circa numerum ternarium tentationum suboritur, dum quæstio ista, *Num Christo plures quàm tres in Historia Evangelica descriptæ, unde nostra Dissertatio desumpta, contigerint tentationes, sive Num Christus per dies 40. & noctes 40. nullas amplius sustinuerit tentationes, præter illas, quæ exacto illo tempore commemorantur, & instituitur?*

§. II. Est quæstio non adeò futilis & supervacanea, sed hujus, vel illius judicii allegatione dignissima. Verùm paucissimis nos expediturū sumus, & quorum libros hæc de controversia inspicere licuerit, eorundem opiniones annotaturi.

§. III. Fatemur autem ingenuè sententias sese offerre adeò varias, ut, quæ propriè seligenda atque retinenda, res videatur difficultate laborare quàm maximâ, nostroque judicio decidenda gravissima.

§. IV. Quid tres Evangelistæ habeant, primum videbimus. *Marcus* statim Christum post subductionem Spiritus S. in desertum à diabolo fuisse tentatum non dicit, sed potius tempore finito accidisse expresse testatur.

§. V. *Marcus* paucas circumstantias attingit, in compendium historiam universam redigit, dum Christum in deserto 40. dies fuisse, ibique tentatum à satana recenset. Non enim firmiter ex *Marco* possumus concludere: Aut Christus in deserto per tempus 40. dierum & noctium sine tentatione fuit, aut per illud tempus in tentatione fuit, aut post illud tempus demùm evenit. Nullum apodicticè potest probari ex Evangelista *Marco*. Sic enim simpliciter loquitur: *ἦν ἐν τῷ ἐρημῷ ἡμε-*

ἡμετέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ i. e. Erat ibi in deserto 40 dies, & tentabatur à satanâ. Si verba, prout jacent, accuratè ponderamus, citius tentationum per illud tempus affirmativa, quàm negativa apparet.

§. VI. Lucas verò per 40. dies in sanctissimum Christum tela tentationum vibraſſe ſatanam, expreſſè aſſerit. Verba ejus ita: ἦν ἐν τῷ πνεύματι ἐν τῇ ἔρημῳ, ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου i. e. Agebatur in ſpiritu in deſertum, & 40. dies tentabatur à diabolo. Quæ res efficit, ut mire ſe torquerent Evangelistarum Conciliatores & textum graviffimè lacerarent.

§. VII. Si *Sebastianum Barradium* è *Societate Jeſu* evolvimus, eundemq̄ve, quàm hâc de re foveat ſententiam, conſulimus, copioſiffimum hâc in materiâ offendimus. Explicat primò verba Marci ſic: Erat in deſerto 40. diebus & 40. noctibus, & tentabatur à ſatanâ: & Angeli miniſtrabant ei; tentabatur, inquam, non omnibus illis diebus, ſed in fine illorum. Quod enim de angelorum miniſtratione intelligimus, idem de diaboli tentationibus eſt intelligendum. Nemo autem dicet ex Marco 40. diebus angelos miniſtraſſe; nemo ergò dicat 40. diebus diabolum tentafſe. Lucæ verborum hunc ſenſum eſſe ait: Agebatur in ſpiritu in deſertum, diebus 40. & tentabatur à diabolo, b. e. ducebatur per Spiritum S. in deſertum, ut 40. diebus in ſolitudine maneret. Et tentabatur à damone, videlicet in fine dierum 40. Verùm objicit ſibi, quod quùm verba græca Lucæ & Marci habeant participium πειραζόμενος, i. e. tentatus, & verba Lucæ verti poſſint: Agebatur in ſpiritu in deſertum 40. dies tentatus à diabolo. Verba Marci ſic: Erat in deſerto 40. dies & 40. noctes tentatus à ſatanâ; Illud tempus 40. dierum videatur conjungendam potius cum diſtinctione ſequenti, tentatus, quàm cum precedenti, deſerto, ergò tentatus ſit Chriſtus per dies 40. Et huic ſuz objectioni ſic reſpondet: Reſpondemus, inquit, tempus illud 40. dierum potius cum deſerto conjungendum, ſenſu ſupra explicato, ſcil. agebatur in deſertum Chriſtus, in eo manſurus per dies 40. & tentatus eſt à diabolo tentationibus, quas mox Lucas recenſet. Is ſenſus ex noſtrâ etiam editione colligitur, in quâ ſic legimus: Et tentabatur à diabolo: videtur tempus à tentationibus ſeparari, illâ conjunctiōne.

§. VIII. Cujus ſententiæ eſt etiam *Cornelius Janſenius*, *Episcopus Gandavenſis*, qui quidem initio mavult verba Lucæ 40. dies referri ad ſe-

quas

quens verbum tentatus, ut sensus sit: Agebatur in spiritu in desertum, 40. dies tentatus, quam ad precedens, ut sensus sit: Agebatur in spiritu in desertum 40. dies, tentatus; tandem tamen, ne adverteretur affectibus suis, dicit, ellipticam esse locutionem in vocibus 40 dies & subintelligendum esse verbum substantivum existens, ita ut sensus sit: Agebatur in spiritu in desertum 40. dies existens ibi, & tentabatur scilicet post hos dies. Sic enim ille Comment. in Concord. Histor. Evang. f. 106. sub. fin. Illud, diebus 40. (pro quo Græcè est ἡμέρας τεσσαράκοντα, hæc. per accusativum, dies 40.) ita positum est, ut possit vel ad superiora, vel ad inferiora, referri. Verùm melius est, ut ad inferiora pertineant, non quod toto hoc tempore tentatus sit, sed quod frequenter. Si enim ad superiora referatur, non satis aptus erit sermo, agebatur in desertum 40. dies vel diebus: Non enim tot diebus ad desertum agebatur, unde multi legunt, in deserto, verùm obstant Græca & Latina emendata. Quare si cum superioribus illud jungendum est, aliquid subintelligendum erit, agebatur in desertum, existens ibi 40. diebus.

§ IX. Facit cum Barradio & Iansenio etiam Cornelius à Lapide, nec obstare dicit, nonnullos ex Lucæ verbis: Agebatur in spiritu in desertum 40. dies & tentabatur; colligere Christum, præter tres diaboli tentationes ab Evangelistis recensitas, plures alias per hos 40. dies passum fuisse, æquè ac post hos 40. dies, à satana. Videtur, inquit, Lucas per τὸ τεσσαράκοντα i. e. tentatus vel tentationem patiens, potissimè respicere ad tres celebres Christi tentationes, quas deinde recenset: Unde noster vertit in Imperfecto: tentabatur: per hoc enim videtur Lucas summarium quasi capitulum, & tentationum Christi, quas statim paulò post enarrare, per anticipationem assignare & premistere voluisse, uti rectè advertit Francisc. Suarez. 3. p. q. 40. Quæ singula etiam fermè verba idem Corn. repetit Tom. I. in Marc. cap. I. 13. in med. f. 577.

§ X. Hi ergò modò laudati Autores negant, Christum in jejunio quadragesimali ullas sustinuisse à satana tentationes, suamq; opinionem stabilire conantur transpositione, quam vidimus, verborum Lucæ. Verùm an ejusmodi μεταθέσις verborum possit tolerari, dubitavit D. Lucas Osiander. Hic enim Part. III. Bibl. Sacr. f. 177. Verba Lucæ: Agebatur in spiritu in desertum 40. dies tentatus, sic distinguenda esse dixit, ut, 40. dies, à vocibus, agebatur in desertum, cum distinctione separandi, & ad sequentem vocem, tentatus, referendi essent.

§. II. SUNT

§. XI. Sunt porro & nonnulli alii, qui nullas alias tentationes Christo accidisse per tempus quadragesimale perhibent, quam quæ deinde ab Evangelistis descriptæ habentur. Et in eâ opinione sunt *Cartusianus, Cajetanus in Luc. IV. Abulensis Matth. IV. q. 21.*

§. XII. Quidam rursus non negant tentationes, sed per integros 40. dies & noctes durasse asserunt. Inter quos est *Beda in Marc. I. Quadragesima, inquit, dies & noctes, quibus Christum tentat diabolus, totum hujus seculi tempus insinuant, quibus membra ejus tentare nunquam desistit. Add. Eusebius lib. 9. de Demonstrat. Evang. c. 7. Euthymio in Matth. IV. Joh. Gerb. Annot. posth. Matth. p. 204. Procul dubio, inquit, totis superioribus 40. diebus variè Christum satanas tentaverat, sed cum nihil profecisset, ac tandem esurie ipsum laborare animadvertisset, assumpta forma externa, eum aggressus est. Vid. porro idem Homil. Sacr. p. 1022. It. p. 1024. D. Salomon Glassius Exeges. Evang. p. 436. D. Wolfgang Franzius, de Interpretat. Scripturæ sic loquitur: Per dies hos 40. vel per septimanas propemodum sex tentatus fuit à satana Christus, cujus rei historia similis non extat in omni rerum natura, quod unus homo cum diabolis tanto tempore indefinenter, dies & noctes conflictari necessum habuerit. Add. D. Brentius in Luc. IV. p. 719.*

§. XIII. Quales autem illæ tentationes fuerint, quas intra spatium illius temporis est perpeffus Dominus, Evangelista non exprimit. *D. Waltberus Harm. Bibl. varias suggestiones & illusiones diabolicas fuisse dicit. Sic enim ille, quando conciliationem instituit inter Matthæum & Lucam, ait p. m. 790. Distingvendum est Tentationis præludium ab ipso prælio seu discrimen constituendum inter velitationem & inter ipsam tentationem (D. Christophorus Althoferus aliam adhuc subjungit distinctionem Harm. Evang. Emedull. p. 138. inter tentationem invisibilem & internam & inter tentationem visibilem & externam.) Christus enim totos 40. dies à satana tentatus est variis suggestionibus & illusionibus, finitis autem 40. diebus demum palam & externa specie gravissimis hisce tentationibus est sollicitatus ad diffidentiam, confidentiam temerariam & idolatriam. Vid. Origen. Hom. XXIX. in Luc. Montan. in Luc. IV. D. Lucas Osiander c. l. f. 177. Grotius abique.*

§. XIV. D. Salomon Glassius Exeg. Evang. p. 438. seriem accidentium per tempus quadragesimale his verbis describit: *O quam seivus a-*
ger Salvatoris nostri mitissimo sustinendus fuit! Nunc hæc, nunc alia de-

monium

monum caterva ipsum exagitavit: Nunc internis suggestionibus pravis, nunc spectaculis & spectris diris, nunc horrendis vocibus clamoribusque, nunc contra ipsum concitatis feris bestiis. Vid. id p. 462. D. Franzius lib. D. Martinus Chemnitz. Harm. Evang. cap. XIX p. m. 39.

§. XV. D. Martinus Lutherus scribit de Pathmo suo, quod diabolus tantum ei noctu sæpe terrorem incutere fategerit, ut audiret noctu sæpenumerò tantum sonum, ac si aliquot millia vasorum vacuorum magnorum, per scalam unam vicinam, simul & semel delapsa venissent &c. His ita præsuppositis nulla cogitatione satis assequi, nulla sua lingua satis eloqui poterit vel disertissimus homo, quanta tragœdia fuerit cum Christo peracta à satana & angelis ejus, per illas fermè sex septimanas. Videmus labores, angores, sudores illorum & nocturnas diurnasq; irrequietationes illorum, qui obsessi sunt à dæmone. At longè crudeliores fuere excruciationes, quibus Christum obtundere indefinenter tanto tempore aggressus fuit satan.

§. XVI. Nos proinde, si liberè judicare liceat, meritò facimus cum illis, qui tentationes in diebus illis 40. admittunt, quanquam inficias ire non possumus, Evangelistas nullas determinare, tamen non negant existentiam, licet nullam modi mentionem reddant. Status namq; Christum temporis admodum exinanitus erat, & Christus etiam ideò deductus fuerat à Spiritu S. in desertum, ut ibi tentationes diabolicas persentisceret. Quare non malè nos facturos speramus, si concedamus, Christum non adeò immunem fuisse per illud tempus quadragesimale ab omnibus tentationibus, ut illas non expertus fuerit, præprimis quùm necessum, ut impleretur illud Apostolicum: Non habemus Pontificem, qui non possit compati nostris infirmitatibus, tentatum autè per omnia secundùm similitudinem absq; peccato. Quicquid autè sit, nos hæc missa faciemus, neq; cum ullo magnoperè hæc de re contendemus. Quare postquam de Tentationū numero paulisper loquuti fuimus, ulterius progredimur, & quod potissimum nostri est instituti contemplamur, quùm nimirum in primo Capite Tentationis primæ Locum & Actum expendere in animum nostrum induxerimus.

§. XVII. Si itaq; in *LOCUM TENTATIONIS PRIMÆ* inquirimus scil. ubi peracta illa fuerit, Evangelistæ dicunt, fuisse *ἔρημον desertum*, quæ vox in sacris non unius est significationis.

§. XVIII. Denotat quippe nonnunquam locum, ab hominum habitatio-

B

bitatio-

bitatione, exterisq; ad vitam humanam sustentandam alimentis prorsus alienum, ita ut mera solitudo ibi sit, & omnia deserta & inculta, quale desertum illud erat, quod Israelitæ intrabant, ubi ipsis fame pereundum fuisset, nisi Dominus mirabili quodam modo illis prospexisset *Exod. XVI.*

§. XIX. Nonnunquam etiam ea loca deserti nomine veniunt, quæ quidem non usq; adeo solitaria, & omni hominum habitatione destituta sunt, ac reliqua, sed adsunt homines, atq; etiam agri coluntur, quia verò hinc inde inhabitata & inculta loca inveniuntur, desertum vocantur. Quæmodum tribui Juda sex civitates cum suis pagis in deserto attribuantur *Jos. XV.*

§. XX. Nonnunquam etiam desertum simpliciter meridiem aut meridionalem plagam significat, ita ut quando desertum ponitur, plaga meridionalis intelligatur *Psal. 75. 7.*

§. XXI. Tandem etiam per metaphoram desertum denotat ethnicos, qui a vera & salutari DEI cognitione alieni, tanquam desertum & solam incultum habentur, unde promittit DEUS illis crebro aquas & arbores, quibus ista deserta refocillantur h. e. dat illis veram doctrinam, seu doctores veram doctrinam eos docentibus, unde tanquam desertum in meridionalibus, & adeo calidis regionibus, fontibus & aquis recreantur. Quæ de re vid. *Matthias Flacius Clav. Scripturae Sacr. tit. Desertum fol. 213. 214.*

§. XXII. Quum itaq; de deserto aliquo etiam Evangelistæ heic loquantur, ibi tentatum fuisse Christum à diabolo unanimiter fatentes, non immerito quæstio occurrit, *Quodnam desertum intellectum velint, dum absolute locum istum sine ulla appositione nominant?*

§. XXIII. Putant quidam, desertum illud *desertum Judæe* fuisse, quia primò propè Jordanem fuit & quia deinde absolute desertum appellatur. Vid. *Maldonatus Comment. in h. l. f. 83. D. Dietericus Analys. Evang. Tom. Johan. Prücknerus Comment. in h. l. f. 639. Jacobus Rauppius Biblioth. Portat. p. m. 43. 44.*

§. XXIV. Quidam de sertum hoc *desertum Quarentana* fuisse dicunt, in qua opinione sunt *Berchardus testis oculatus terra sancta Part. I. c. 7. S. 28. Adrichomius in descriptione tribus Benjamin num. 97. Cornel. à Lap. Tom. I. comment. in Matth. IV. fol. 98. D. Gerhard Noe. Posthum. p. 197.*

§. XXV. Rursus alii *Desertum Arabia Magna* intellectum volunt, quod desertum ista describit *Georg Christoph von Meißner Siebenjährige Wele*

Wüstebeschauung p.m. 197. Diese Wüsten hat wohl recht den Namen
 mit d Thae Den es ist ein wüster Ort von Menschen Vieh und Früch-
 re/da siehet man weder Dörffer noch Städte/weder Acaer noch Aesem
 sind darinnen / sinnemahl nichts als brennender Sand und sonst we-
 der Laub noch Gras / sondern allein von unfäglicher Sonnen-Hitze
 verbrante dürre Stengel sind zu sehen und zu finden / daher das Land
 von Natur zu bauen und zu nutzen ganz untauglich und im gering-
 sten nicht geschickt ist / hingegen aber gibts schreckliche hohe schwarze
 und zerschmetterte Steinclippen/ abscheuliche tieffe und enge Thäler
 viel giftiges Ungezieser und Gewürm etc.

§. XXVI. Et hoc Desertum, quô tentatus fuit Christus à diabolo,
 Arabiae Magnum fuisse, aliquot rationibus probat *D. Chemnizius Harm.*
Evang c. 19. p. 37-38. Quod intelligatur, inquit, Desertum Magnum, mo-
 veor his rationibus. Reliqua deserta per additionem aliquam circumscri-
 buntur, ut desertum Judææ, Ziph, Maon &c. Desertum verô Magnum
 simpliciter sine additione quasi per Antonomasiam vocatur *ἡ ἐρημία*. Si-
 cut in hac historia vocatur 2. In reliquis desertis vel alicubi quædam sunt
 hominû habitationes, sicut supra in historia Baptistæ exemplis ostendi-
 mus, vel non omninò sunt ab hominum conversatione remota: sed in
 hoc deserto fuit cum feris per 40. dies. 3. Quæ hic describuntur, pulchrè
 accommodari possunt ad typum filiorum Israelis in deserto. Vid. idem
 pluribus *Proleg. cap. IV. p. 29. D. Althofer Harm. Evang p. 137. D. Rein-
 hardus Bakius Exposit. Dom. Evang. p. 28. Part. II. D. Abraham Calovius
 Disputat. De jejuniis Quadragesimali. D. David Pareus Comment. in
 Matth. p. 115. M. Henricus Büntingius Itinerar. Script. Sacr. fol. m. 13.
 Part. 2.*

§. XXVII. Nos hæc in parte nihil determinabimus, sive enim
 amplecteremur, hoc desertum fuisse Quarentanam, sententiam statuen-
 tium, sive rejiceremus, aliamq; sententiam arriperemus, probalia tamen o-
 mnia nos dixisse manifestum esset. Quid ergò curiosius inquiramus, quod
 Evangelistæ tacuerunt? Relinquimus interea tantis Viris sua judicia &
 satius esse confidimus, si cum *D. Chemniz. l. c. p. 38.* dicamus. Hac de re
 cum nemine contendemus, sit suum cuiq; judicium liberum, ubi non
 de articulis fidei; sed de circumstantiis historiarum ex conjecturis pro-
 babilibus agitur.

§. XXIX. Locò itaq; Tentationis perspectò videamus, quid ibi

B 4

conti-

contingent? Christus in eò ab angelis & hominibus relictus commoratur, varias tentationes subit & per 40. dies & noctes nihil cibi, potusq; capit. Diabolus, tanquam circumforaneus, ipsam visitat, & familiare cum illo instituit colloquium. *Christus itaq; & diabolus conveniunt ex altera parte malitia, ex altera Dei sapientia: ex altera princeps hujus mundi, ex altera celestis Imperator, suis quiq; armis instructi: Ille pravitate, hic sanctitate: Ille mendacio, hic veritate: Ille odio & contemptu Dei, hic pietate & reverentia, inquit Granatensis.*

§. XXIX. Quæritur autem hîc, *Quanam forma diabolus apparuerit, cum Christum exactis 40. diebus totidemq; noctibus tentaverit? Fatemur, plerosq;ve imò fermè omnes forma visibili diabolum accessisse affirmare.*

§. XXX. Videamus rationes, quas *Jacobus Rauppius* hinc inde collegit. Sic autem ille *Biblioth. Portat. p. 47.* ait: Statuimus in corporali specie dæmonem Christum aggressum esse, quia 1. Satanæ accessus, recessus & sermo tribuitur. 2. Satan nihil juris habuit in cor & mentem Christi, ergò tale quid cordi inspirare non potuit. 3. Fit mentio accessus angelorum, qui ut visibilis fuit, ita etiam visibiliter satan discessit. 4. Quia convenit hoc cum primâ tentatione in paradiso, ubi corporali specie diabolus Evam tentavit, & totius generis humani victor evasit, hîc verò sub eadem larva vicus est. 5. Res ipsa loquitur, quomodo enim præcipitare Dominus sese poterat, si non in loco alto stetisset? 6. Si angelus bonus prophetam Habacuc ex Judæa in Chaldæam deferre potuit, ut pulte suâ Daniele in leonum spelunca cibaret, cur satanas hoc non posset? 7. Comprobat idem mos satanæ, qui apparuit jam sub specie serpentis Gen. 3. defuncti Samuelis 1. Sam. 28. angeli lucis 2. Corinth. II. bovis, draconis &c. larvâ.

§. XXXI. Plura si desideras, prolixè vid. *Sebastian Barradius Comment. in h. l. fol. 59. in med. Job. Maldonatus Comment. in IV. Evang. Tom. I. fol. 87. Cornel. Ianfenius Harm. Evang. fol. 107. D. Pareus c. l. p. 117. D. Gerhard. Not. Posth. p. 204. D. Chemnitz. c. l. p. 41. D. Althoferus c. l. p. 140. D. Waltherus Harm. Bibl. p. m. 790. D. Bakius Exposit. Evang. Dom. D. Balthasar Meisnerus Christol. Sacr. disp. 32. §. 5. p. 264.*

§. XXXII. Quæritur autem, *Quanam propriè formâ diabolus apparuerit? Barradius Tom. I. Comment. in h. l. f. 64. in med. putat, diabolum Christum accessisse vel formâ dæmonis, vel angeli. Crediderim, inquit*

inquit

inquit, aliquam gessisse personam, quæ vel demonis, vel angeli, naturam indicaret: cuiq; conveniret tum Christum assumere & in pinnaculum ducere: tum totius orbis dominatum promittere. Nisi forte velis in primâ tentatione anachoritam egisse, postea hæc deposita larvâ alias assumpsisse. Forsitan in secundâ, tertiâq; tentatione in angelum lucis se transfiguravit: in primâ verò anachorite fame enecti larvam assumpsit. Tunc à Christo petivit, ut utriusq; fami succurreret, ne eremum deserere opus esset.

§. XXXIII. Carthusianus in Matth. IV. formam hominis diabolum assumpsisse existimat. Accesit, inquit, in forma visibili & humana & forte in forma hominis religiosi, ut simulata sanctitate circumdatius citius falleret. Formam hominis vult etiam D. Lucas Ofiander Bibl. Sacr. f. 16. It. Cornel. à Lap. in h. l. fol. 101.

§. XXXIV. Quidam dicunt apparuisse diabolum assumpta visibili quadam, horribiliq; larva, ut vult D. Aegidius Hunnius Comment. in Matth. p. m. 108.

§. XXXV. D. Glassius c. 1. p. 444 formam angeli induisse satanam arbitratur. Postquam, inquit, Christus per 40. dies & noctes in deserto solus perstitisset, tria passus horribilia 1. in ediam, cibiq; carentiam. 2. ferarum incursiones & molestias. 3. satanae varias illusiones & terriculamenta, ut horum trium Marc. I, 13. Luc. IV, 2. fit mentio. Tandem unus præcipuus ex caterva diabolica, forma procul dubio non terribili, sed angelica (in quam se transfigurare solet 2. Cor. II, 14.) eum accessit & tribus tentationum velut ictibus distinctis in tribus etiam diversis locis adortus est.

§. XXXVI. Nos verò cuilibet, siue statuat diabolum formam assumpsisse angeli siue hominis, siue alius, liberè judicare relinquimus, nihil quippe firmiter possumus concludere, tacente enim scriptura & nos tacere oportet.

§. XXXVII. Quùm itaque diabolum forma aliqua visibili accedentem viderimus, rectè ille Christum audacter & impudenter admodum aggreditur, eâ spe fretus, fore ut propositum suum effectum consequatur felicissimum. Christum autem eò propellere gestit, ut fiduciam in Deo positâ abjiciat, sibiq; ipsi consulat hæc ratione, ut propter esuriem, quam per 40. dies & noctes sustinuit, lapides convertat in panes, atq; ita, ipso scil. diabolo spectante, stupendum edat miraculum. Ex huc spectant ista verba: Si es Filius Dei, die, ut lapides isti panes fiant.

§. XXXIIX. Videntur hæc verba eum habere sensum, diabolum de Christo scrupulum habuisse, utrum esset Filius Dei, nec ne, atq; fermè sic secum deliberasse: Ego quidem haut ita pridem vocem cœlitus delapsam audivi, istum hominem esse Filium Dei, nec etiam dubitavi de vocis veritate; verùm jam aliud mihi persuasum habeo, video jam ipsum in deserto, inedia & penuria fermè confectum & quia tam derelictum & abjectum animadverto, proinde ipsum jam accedam, exploraturus, num sit verus Filius Dei, faciam periculum, quo possum penitus indagare ejus personam.

§. XXXIX. Quæritur proinde non immeritò heic, *An diabolus de Christo certam atq;e indubitatam notitiam habuerit, & verum Filium DEI esse noverit, an ambiguus de illo hæserit?*

§. XL. Patres, quos quidem inspicere licuit, posterius affirmant, diabolum nimirum dubitasse de Christo, illumq;e certissimum Filium DEI esse ignorasse, & propterea jam explorare voluisse, quisnam esset, ut impofterum sciret. Liceat duorum saltem ipsissima verba allegare. *Chrysostomus in Matth. IV. Hom. V.* Multis modis diabolus audierat, quia Christus natus est in hoc mundo: aut angelis prædicantibus ad pastores vel pastoribus referentibus ad Mariam, vel Magis quærentibus in Historia eum adorare, vel Johanne ostendente: Ecce agnus Dei. Sed faciebat eum incertum natura ejus carnalis. Dicebat enim apud se: Hic non potest esse Filius DEI, qui de muliere & de viro natus est. Nam & ideò de desponsata & de domo habitata natus est, ut virginis partus diabolo celaretur. Si autem de simplici virgine natus fuisset, facile poterat cognoscere diabolus, quia Filius Dei est, cogitaret enim apud se, Maria fornicata non est, si autem fornicata fuisset, ego sine dubio scirem: quia omnis fornicatio ministrante committitur: sine dubio iste Filius DEI est. Nec enim potest fieri, ut de muliere homo sine viro nascatur. Ideò desponsata intravit domum Josephi, ut dum maritalis conceptio æstimatur, unigeniti DEI nativitas non cognoscatur. Hic est rex gloriæ, qui panis involutus, nec locum in diversorio potuit invenire. Hic est ille sanctus, qui cum peccatoribus ut peccator est baptizatus. Quid ergò? ipse eum tentabo, & si quidem invenero eum hominem sicut puto, dominabor illi, sicut omnib; hominibus. Si autem invenero eum, sicut audio, Filium DEI, postmodum recedam ab eo, nec aggrediar contra eum.

§. XLI.

§. XLI. *Ignatius ad Philipp. Epist. 5.* Quod virgo peperit, igno-
 ras? sed confundit te angelorum laudatio, magorum adoratio, stellæ
 apparitio. Ignorantiam istam incurtisti per contumaciam, parva tibi
 videntur incunabula, passiones, circumcisio, lactis nutritio, indigna
 tibi DEO hæc esse videntur. Iserumve vidisti hominem 40. diebus & no-
 ctibus ingustato cibo humano, & angelos ei ministrantes, quos & tu ti-
 mebas, videns primo quasi communem hominem baptizatum, & igno-
 rans causam? Post jejunium vero insidiabaris esurienti, & tentabas qua-
 si communem hominem, ignorans, quis esset. Dicebas enim, si Filius
 DEI, ignorantia id est, nam si verè cognosceres, scires sine dubio, quia
 quæ impossibilia videntur ad faciendum, & difficilia ad convertendum
 factori omnia possibilia sunt. Eiusdem etiam opinionis sunt reliqui
 Patres, Vid. *Chrysof. de laps. pr. hom. 1. Tom. I. p. 356. Id. in Matth. IV.*
hom. 13. Theophylact. in Matth. IV. Beda in Luc. IV. Tom. 2. August. in
Ps. 90. Tom. 8. Id. Quest. V. & N. T. quest. 66. Tom. 4. Ambros. Cyprian.
Leo serm. 44. de Quadrages. D. Maxim. hom. 2. Hieron. in Matth. IV.
Hilar. &c.

§ XLII. *Barradius l. c. f. 65.* objectionem sive quæstionem format,
 num diabolus hæc tentatione Christum in peccatum præcipitare, aut ejus
 divinitatem explorare tentarit? Objicientes dicunt, neutrum intendisse
 diabolum, novisse n. Christum esse Filium Dei, & propterea non posse
 peccare, neq; dubitasse de ejus divinitate, tum ex sacris de Messia vati-
 cinantibus, tum ex angeli cum virgine colloquio, ex nuntio pastoribus
 dato, angelorumque plausu & cantico, ex stella & magorum adoratio-
 ne, ex voce Patris: Tu es Filius meus dilectus. Quùm ergò utrumq;
 diabolus benè cognoverit, dicunt porrò, diabolum existimasse, Deum
 quidem peccare non posse, sed humanitatem cum Deo copulatam pec-
 care posse, vel saltem de hac re diabolum dubitasse, atq; ideò Christum
 ad peccatum tentando impulisse. Verùm Barradius utrumq; refutat, tum
 illud, novisse diabolum, Christum esse Filium Dei, quia hoc adversaretur
 Patrum opinioni, quippe qui sentirent, diabolum de Christi divinitate du-
 bitasse, eamq; tentando explorasse; tum illud, diabolum humanitati Christi
 peccandi possibilitatem tribuisse, aut minimùm ejus impossibilitatem in
 dubium vocasse, quia stultissimus adeò diabolus non fuisset, si cum Deo
 copulatam humanitatem in peccatum trahi posse sibi persuasisset. Et
 tandè suam sententiam *Barradius* profert: *Credendum nimirum esse, Lu-*
 rife-

ciferum ex illis, quæ vidisset, cœpisse dubitare, num Christus Filius Dei esset, neq; id exploratè cognovisse.

§. XLIII. Cornel. Jansenius c.l.f. 107. 108. multis verbis utitur, quibus ostendit, diabolum dubitasse de Christo vero Filio DEI atq; ideò explorasse hâc tentatione. Item Cornel. à : ap. in b.l. f. 102. Audierat inquit, diabolus Patris Oraculum in baptismo Christi; Hic est Filius meus dilectus; audierat quoque Johannis Baptista testimonium, quod Christus esset Filius DEI, sed quia alia ex parte eum videbat hominem quasi plebejū, pauperem, imbecillum & aliis similem, idcirco dubitans, an Christus esset Filius DEI naturalis, ipsūq; Patris Verbum; an verò duntaxat adoptivus, sed per excellentiam, ut hoc dubium resolvat, tentat Christum, petitq; ut lapides in panes convertat, quibus esuriem suam levet, ut ex hoc miraculo, vel miraculi impotentiâ alterutrum cognoscat. Vid. porrò fol. 99.

§. XLIV. Hi ergò modo laudati Autores omnes dicunt, diabolum dubitationem suam, quam de Christo habuit, hâc tentatione eximere voluisse & exinanitionem Christi pro fundamento habent, quò dubitationem diaboli de Christo stabilire nituntur. Vid. D. Chemniz. Harm. Evang. c. 19. p. m. 48. in med. D. Calovius Disput. de jejuniis Christi in deserto, ubi inquit: Diabolus hoc loco tentavit Christum i.e. explorare voluit, num Filius DEI esset, quod nescivit vel non certò scivit, vel credere noluit. Id. Bibl. Illustr. Tom. I. in N.T. f. 169. Hæc formula, inquit, (si Filius Deus) non tam intendebat satanas diffidentiam Christi de se & persona sua, ut dubitaret Christus, num sit DEI Filius, quàm diffidentiam de providentiâ divina, utrum DEUS ipsum sit sustentaturus, vel etiam sollicitationem aut explorationem potentie Christi, utrum sua necessitati consulere possit. Idem Syst. Theol. Tom. 4. p. 325. & 326. prolixè differens. D. Joh. Frider. König Theol. Posit. p. 50. §. 212. p. 51. §. 214.

§. XLV. Maldonatus Jesuita fol. 87 in b.l. existimat, diabolum novisse Christum ejusq; potentiam, quod colligitur ex istis verbis. quando dicit: Audierat diabolus fortasse cœlestem vocem, Hic est Filius meus dilectus, aut ex Johannis predicatione, vel fama, cognoverat. Credibile autem est, non per modum dubitantis, aut negantis, aut irridentis hoc diabolum dixisse, sicut illi ejus ministri dixerunt: Si Filius DEI est, descendat nunc de cruce. Sed per modum potius credentis & affirmantis & benè Christo consulere volentis, quasi dicat, quandoquidem Filius DEI es, ne famem patiare, sed quia potes, & aliunde non suppetit tibi cibus, dic ut lapides isti panes fiant.

fiant.

§. XLVI. Verum extra omne dubium est, diabolum de Christo, verum illum esse Deum in statu exaltationis planè nihil dubitasse, cum viderit gloriosam ejus resurrectionem & antea etiam efficacissimum ejus ad inferos descensum satis magno suo cum malo expertus fuerit, postmodum etiam victoriosissimam ascensionem spectarit, ut de eò non potuerit non quam certissimus esse, modò non (uti per superbiam & odium Dei solet) præfractè & malitiosè illa se ignorare simulet; in statu autem exinanitionis ejusmodi indubitata notitia diaboli de Christo statuere difficillimū videri. Certe ante baptismum diabolus de Christo parum novit, nisi quòd miraculosam ejus nativitatem non nihil pensitaverat (negant tamè nonnulli diabolum novisse miraculosam Christi nativitatem) quòd tamen non admodum ipsum cognovit, præsertim cum vidit, Christum in teneris juventutis suæ annis nihil singulare præstantem, quòd vel minimū divinitatis signum, aut indicium esse posset: cum autè in baptismo ad Jordanem audiret Oraculum Patris de cœlo: Hic est Filius meus dilectus, itemque Johannis Baptistæ de Christo testimonium, quòd esset Filius Dei, recordabatur miraculosæ ejus nativitatis: & cum ex alterâ parte nihilominus videret, eum, perinde ut antè, hominem quasi plebeum, imbecilem & alius similem: Idcirco ancipiti mente hæsit, qualem deberet intelligere Dei Filium, an naturalem & ὁμοῦσιον an saltem adoptivum.

§. XLVII. Quare loquimur cum D. Gerhardo aliisque, diabolum de Christo saltem conjecturalem aliquam, & incertam in statu exinanitionis habuisse notitiam, non verò evidentem & indubitata, & nihil obstare miraculosam ejus nativitatem, quum Deus per omnipotentiam suam etiam nudum hominem potuisset ex Maria Virgine producere, atque sic infallibiliter diabolum non potuisse cognoscere Christi divinitatem; nec obstare miraculorum deinde subsequutorum excellentiam, utpote quum Apostoli majora etiam atque ipse Christus miracula ediderint v. g. Petri umbra quoscunqve ægrotos sanavit Act. 5, 15. quòd tamen de Christo non legimus, non quòd non potuerit, sed quòd noluerit, licet fateamur necesse sit, Apostolos miracula edidisse non virtute propriâ, sed alienâ, divinâ nempe, Christum verò propriâ suâ virtute.

C

§. XLIX.

§. XLIX. Quare conjecturalis duntaxat, incerta & suspicabilis notitia evincitur. Et liceat dicere cum B. Gerhardo. Noverunt daemones, Christum in statu exinanitionis fuisse Dei Filium & verum Deum, non per certitudinem scientiae, sed per conjecturam opinionis firmam. Et hanc ob causam rectè Cornel. à Lap. in Marc. I, 24. Scio quis; Sanctus Dei; illud scio exponit per suspicor, conjecto, opinor, Nam addit, daemones non habebat firmam & incertam adventus notitiam. Id. Corn. in Marc. III, 12. ad hæc verba: Diaboli dicebant, tu es Filius Dei. Ubi tamen adverte, daemones non ita clarè & firmiter id ipsum cognovisse, quin alia ex parte, cogitantes magnitudinem mysterii, in Christo tanta humiliatiōis homine, latentis, quod videbatur naturaliter incredibile, præsertim superbissimo spiritui; subinde hæsitarent & dubitarent, an Iesus verus esset Messias & Dei Filius. Leo. serm. 9. de Passione. Est huius in Matth. IV. Idem in Marc. I, 24. Beda in Marc. I. Idem in Luc. IV. Unde August. lib. 9. de C. D. c. 21. Deus tantum diabolis innotuit, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit. Et ad istam objectionem, quæ fieri possit, ut diabolus non intellexerit, Christum esse Deum, ex divinis vaticiniis, ex Patris voce, quæ de Cælo sonavit, ex angeli sermone cum Virgine Deipara habito, ex verbis Johannis & cæteris, respondet Cardinalis Cajetanus Luc. IV. Daemones intellectum, ne id intelligeret, fuisse à Deo impeditum. Quemadmodum enim illius vim ad nocendum, ita vim ad intelligendum, Deus pro divina sua providentia, quantum opus est, frenat.

§. XLIX. Nos plura hæc de re verba non faciemus, eaque à regi-
Βερέποις ingeniis libenter discutienda relinquimus, & quanquam appro-
 bandos esse censemus, qui conjecturalem notitiam diaboli de Christo
 statuunt & optime defendunt, præprimis quum, si infallibilem scientiam
 diabolus de Christo habuerit, vix eum tentasset, quia non opus fuisset,
 neque vel in peccatum diffidentiae, vel aliud, præsupposita ista scientia,
 Christum in primâ & reliquis tentationibus præcipitare potuisset, taceo
 quod Deus, ne credidisset, ejus intellectum potuisset impedire; Atta-
 men putamus tutissimum esse asserere, diabolum in primâ hac tentatio-
 ne Christum ad diffidentiam voluisse tentare, ut nimirum fiduciam in
 Deum abjiceret, sibiq; esurienti ipse mutatione lapidum in panes con-
 suleret.

§. L. Minus rectè fecerunt Veteres, qui hanc tentationem ten-
 tationem

tationem gulæ nominarunt. Ridiculum enim esset, ad gulæ interperionem referre, si quis famelicus cibum appetit, quo naturæ satis faciat. Porro quas in pane lautitias fingent, ut nimis delicatus censeretur, qui sicco pane, ut ajunt, contentus esset? Verum unica Christi responsio satis declarat, aliud fuisse satanæ consilium. Non erat certe rudis & imperitus athleta Filius Dei, ut nesciret adversarii ictus declinare, vel ad dexteram partem impetitus, clypeum ad sinistram temerè opponeret. Ergo si conatus fuisset satan eum ad gulæ delicias pellicere, habebat in promptu testimonia scripturæ, quibus eum repelleret. Atqui nullum tale proponit, sed hanc sententiam sumit: Vivere hominem non pane, sed arcana Dei benedictione *Deut. 8, 3.* unde colligimus, rectè aggressum fuisse Christi fidem, ut eâ extinctâ Christum ad illicitos & perverfos victus quærendi modos impelleret.

§. LI. Erat proinde ejusmodi tentatio, quâ diabolus hodiernum sæpissimè utitur. Si quando quis in paupertate, aut calamitatibus, & adversitatibus variis constitutus est, nec statim auxilium divinum experitur, diabolus evestigio conatur ipsi persuadere, quod non sit apud Deum in gratiâ, quod non sit dilectus ipsius Filius. Somnias (suggerit menti satanas) te à DEO amari, ejusque Filium ex gratia & hæredem vitæ æternæ esse. Si hoc, cur per totam vitam tantoperè affligeris, penuriâ tantum non plane consumtus? Si majus illud dare vellet tibi DEUS, utique minus etiam, imò minimum hoc non denegaret vel subtraheret. Aut si omninò persistis in vana tua confidentia, age ora Deum, ut miraculosè te cibet, quemadmodum viduæ Sareptanæ contigit, cujus vas oleo impletum semper mansit, famis publicæ tempore *1. Reg 17, v. 9. seqq.* Hoc verò quia non fit, spem tuam abjice, & ut aliis, etiam illicitis mediis, te sustentare & ex malis eruere possis, provide, utere, ut alii, technis & fraudibus & molestiis hac te ratione subtrahe. Hæ certè satanæ suggestiones, sunt in quamplurimis.

§. LII. Et ita etiam heic loci diabolus tentat Christum, accedit eum in solitudine & penuriâ constitutum, Quid rerum, inqviens, mi Domine hîc agitur? Ego non ita pridem audiivi te dilectissimum Filium DEI pronunciarî, & tamen tam abjectum & derelictum video, noli credere isti voci, fuit vana & mera illusio. Si enim esses Filius DEI, certe Pater tuus non pateretur te adeò fame & aliis ærumnis conflictari. Sustinet animalia bruta & quicquid creavit, & tui oblivisceretur, qui tamen

Ipsius Filius esses? Verba ista mera fuerunt praestigia. Si tamen te Filium
DEI esse persuasum tibi habes, agetum si Pater te non vult sustentare, ipse
fami tuae consule, heic vides lapides magno numero jacentes, sume tibi
aliquot & converte illos in lapidos panes. Cernis enim Patrem nullam
Tui curam habere. Quapropter abjice fiduciam de tuo Patre & quia tu
te ipse ea quae Patris sunt poteris efficere, praesta te Virum & noli amplius
fame discrucari. Erat sane gravissima tentatio, quam Christus vere sen-
sit & mente turbatus est. Etenim quemadmodum (ut cum D. Osiandro
Bibl. Sacr. in h. l. loquamur) Christus passus est, requiescente Verbo, ita
etiam tentatus est requiescente Verbo. Et D. Brentius in Evang. Hac tenta-
tio conscientiam Christi penetravit.

§. LIII. D. Aegidius Hunnius hanc primam tentationem, quae dia-
bolus Christum tentavit, his verbis explicat *Comment. in h. l. p. m. 109.*
*Ante dies 40. audita est vox e superiore aere, quae te DEI Filium procla-
mavit. Et tu quidem es in ea opinione, ut te naturalem illum unigenitum
DEI Filium esse autumes. Quod autem vox illa nil nisi inane ludibrium
extiterit, hinc colligere difficile non est, quod DEUS, qui etiam contemptis-
simas bestiolas alit, te interim cum fame inediaque, conficiantem, manifeste
negligit. Praterea si Filius DEI esses, utique omnipotens esses, & vi poten-
tia tua valeres lapides istos in panes convertere. Fac ergo periculum si libet,
ego prebebo me spectatorem, quam pulchre scilicet possis e lapidibus illis pa-
nes facere. Quod si vero praestitum tibi hoc non est possibile, res ipsa persua-
sionem illam tuam uti falsam redarguit.*

§. LIV. En admirandam diaboli audaciam & temeritatem, qui
Christum ad tantam diffidentiam perpetrandam instigare, eumque eò im-
pellere cupit, ut providentiam divinam & ejus auxilium in dubium vo-
cet, quod non possit succurrere ejus infirmitati, sed sinat eum fame perire
in deserto. Est sane species tentationum gravissima, quam Christus pro-
cul dubio ideo subire voluit, ut ostenderet, quomodo, si & nobis tales
cogitationes in mentem venirent, cogitaremus, tentationes istas esse di-
abolicas, nihilque novi nobis accidere, quippe idem Christum sustinuisse
cogoverimus. Quibus autem armis Christus adversus hosce impetus &
insultus diaboli gravissimos usus fuerit, ostendunt etiam Evangelistae,
fuisse nimirum illud medium, quod omnes sancti & electi in tentationi-
bus satanicis arripiunt, Verbum Dei, quo audacissimum & callidissimum
tentatorem te acerrime prostravit, quam apologiam, quam eam confi-
deran-

derandam hac vice nobis non proposuerimus, meritò præterimus, ne promissorum metas excedere videamur & proinde recto pede transimus ad secundam Tentationem, quam Caput subsequens complectitur. Agit igitur

CAPUT II.

DE

Tentatione, quâ diabolus à Christo efflagitavit,
ut è pinnaculo templi sese præcipitaret.

§. I.

Occurrit autem statim controversia ista decidenda, *Quare ordo Tentationum inversus habeatur?* Si enim Lucam evolvimus, eum hanc tentationem tertio loco posuisse reperimus, & tentationem à Matthæo tertio loco positam secundo collocasse, unde non immeritò quæritur, *Quomodo conciliandi Evangelistæ, quæ ordinem transpositum habent, & uter verum ordinem observarit?*

§. II. Quæ quæstio etiam facillimè potest decidi, dum consentiunt omnes Commentatores, qui dicunt, Matthæum verum ordinem observasse, Lucam autem descripsisse quidem etiam tentationes easdem, non verò curasse, quæ fuerit vel secunda, vel tertia. Nos heic non commemorabimur allegatione verborum hujus vel illius Autoris, quia unum & idem quoad rem habent, sed unum tantum *Chemnitzium* consulimus, quæ rationes, ob quas ordinem verum attendisse Matthæum manifestum est, dexterrimè & optimè adduxit.

§. III. Sic autem ille *Harm. EVANG. c. 19. p. m. 32. & 33.* loquitur: *Quòd in ordine tentationum, inter descriptionem Matthæi & Lucæ discrepantia quædam esse videtur, hunc nodum Faber Stapulensis ita expedire conatur, quòd testatur, antiquos quosdam Codices in Luca eundem habere tentationum ordinem, quem Matthæus habet, ut transpositio illa in Luca videatur libratorum vitio facta, cum quidem etiam Ambrosius in Commentariis super Lucam eo ordine hæc tentationes & legat, & explicet, sicut apud Matthæum describuntur. Accedit quòd post tentationem de adoratione tam apud Lucam, quam apud Matthæum diabolus scribitur jussus discedere (*Abi post me Satana:*) cui non satis com-*

G 3

modè

modè mox videatur annecti, sicut jam in Luca legimus, *Et duxit illum Hierosolyma &c.* Sed in tanto tum Græcorum, tum Latinorum codicum consensu ad σ Φαλινα γρηγορικόν confugere velle, χρησθούμετον videri posset. Simplicissimum igitur est, quod Aug. de consens. Evang. lib. 2. c. 16. dicit: Ad summam rei nihil interesse, nec aliquid deperire veritati, quod unus Evangelista easdem sententias aliis verbis, & alio interdum ordine, quàm alter, explicat, dum manifestum sit, omnia illa quæ scribuntur, facta esse. Manifestum autem est, Lucam in descriptione duarum illarum tentationum, non uti particulis notantibus certam ordinis seriem. De primâ quidem tentatione inquit [*Esuriit: dixit a. ille tentator:*] quæ notatio aliqua ordinis est, de reliquis simpliciter dicit [*Et abduxit eum:*] item: (*Et duxit illum:*) Matthæi verò descriptio certis particulis consequentiam ordinis notat: ut, post primam tentationem dicit (*Tunc assumit illum in civitatem sanctam*) post hanc addit (*Rursum assumit illum &c.*) quâ particula indicat, prius in pinnam templi, postea in montem, subductum fuisse. Et cum Christus dixisset [*Abi satana*] subjungit Matthæus, (*Tunc omittit eum diabolus.*) Hæ sunt manifestæ indicationes ordinis. Certum igitur est, illum esse verum tentationum ordinem, quem Matthæus describit, & ad illum ea, quæ Lucas sine certâ notatione ordinis descripsit, accommodanda esse.

§. IV. Si plura, quæ eadem sunt, legere desideras, Vid. *Barradius Comment. in b. l. fol. 79. Maldonatus Comment. in b. l. fol. 88. Iansenius c. l. fol. 108. 109. Cornel. à. Lap. in b. l. fol. 103. Calvinus Harm. Evang. f. 58. Alphonsus Salmero Tom. 4. Comment. Evang. histor part. 1. Tractat. 13 fol. 123. Pareus c. l. p. 120. Marloratus Comment. fol. 19. Egidius Hunnius Comment. in Matth. p. m. 108. D. Althoferus Harm. Evang. p. 142. D. Waltherus Harm. Bibl. p. m. 789. D. Gerhard. Not. Posth. p. 207. 208. Prückner Comment. in b. l. fol. 639. D. Abraham Calovius Bibl. Illustrat. fol. 168. Jacobus Rauppius c. l. p. m. 47. D. Dietericus Anahys. Evang. Dom. Invocavit.*

§. V. Viso proinde justo tentationum ordine, quem omnes unanimiter amplectuntur, quòd nempe *Matthæus* ordine historico processerit, *Lucas* verò ordine arbitrario scripserit, contemlemur etiam necesse est summam Tractationis nostræ, quæ nimirum Locum & Actum cujuslibet tentationis comprehendit. Secundæ a. tentationis Locum Evangelistæ dicunt fuisse π ερύγιον & ἰσθμὸν *pinnaculum templi*, quod

ante

antequam dilucidationi nostræ subjiciamus, non incommode à nobis demonstretur, *Quomodo diabolus è deserto in illum locum nempe pinnaculum Christi transtulerit?*

§. VI. Nos jam curiosè non inquiramus, quamdiu prima aut etiam omnes tres tentationes durarint, forsan tentationes illæ [inquit Chemniz. c. l. prolegom p. m. 30.] quæ describuntur, de deductione ad montem excelsum & ad pinnaculum templi uno die non fuerunt confectæ, neq; etiam considerabimus, quod spatium inter desertum & inter pinnaculum templi, quò translatus fuit à diabolo Christus, intercesserit, quod posterius curiosis Geometris aliisq; inquirendū relinqvimo, sed id tantum à nobis observetur, *Quomodo diabolus Christum è deserto in templi pinnaculum traduxerit?*

§. VII. Fatemur non consentire hæc interpretes, sed variare maximè. Quidam enim dicunt, hanc assumptionem factam fuisse *non reipsa, sed in visione*. Inter quos est *Cornelius Jansenius*. Is enim nullus dubitat asserere, Christum semper mansisse in deserto, in quod primò secesserat, & diabolum ejusmodi imagines objecisse oculis Christi, quæ optimè representassent pinnaculum templi & montem, ita ut Christus non aliter sibi potuisset persuadere, ac si esset super pinnaculum templi & montem, cum tamen non secessisset è deserto. Addit deinde etiam idem *Jansenius*, hanc visionem non fuisse talem, qualem Ezechiel & alii prophetae habuerunt, ista enim imaginaria aut intellectualis saltem fuerit, sed visionem hanc fuisse visibilem & corporalem, ita scilicet ut diabolus per novas rerum imagines fecerit Christo videri sensibiliter se esse supra templum & montem. Quà de re vid. sis *Cornel. Jansen. Comment. in h. l. fol. 110. 111. Cyprian. serm. de jejun. & tentat. Christi Tom. 3.*

§. VIII. Rursus alii hanc assumptionem per *deductionem* factam fuisse existimant, ita scilicet ut diabolus Christum per viam ad templi pinnaculum deduxerit. In quâ opinione est *Maldonatus* Jesuita, qui etiam hanc sententiam aliquot argumentis probat. Sic enim ille *Comment. in h. l. fol. 89.* Alii Christum ductum pedibus putant, quibus ideo potius subscribo, quod parùm videtur mihi vero simile, tantum diabolo Christum erga se permisisse, ut ab eo deportaretur. Præterquam quod si id permitteute Christo diabolus fecisset, nimium se, quis esset, declarasset, quod ille cum tentat, facere non solet, potius transfigurat se in angelum lucis 2. Cor. II, 14. accedit, quod Lucas non dicit *παρελαβεν*, sed *ἤγαγεν*, duxit

§

Et illud ipsum verbum παραλαμβάνειν non semper significat ita assumere, ut portes: sed aliquando ita ut ducas, ut supra c. I, 20. 24. & c. II, 14. 20. Cui adstipulatur Chemnitius. Is enim Harm. Evang. c. 19. p. 44. postquam varias sententias rejecerit, dicit, se, non erraturum esse, opinari, qui verba Evangelistarum simpliciter de circumductione, sicut sonant, retinebit. Matthæus enim habet παραλαμβάνειν, Lucas ἀναγειν. Et uterq; utitur verbo ἰσημι. Nec dissentit D. Glasius Exeges. Evang. p. m. 484. Nos, inquam, de circumductione externa à diabolo, permissu Dei, & immensâ Christi patientia facta, literam textûs meritò acceptamus. Cui opinioni favet etiam D. Althoferus Harm. Evang. p. 143. Dubitatur inquam, hoc loco: an Christus à diabolo per aëra raptus fuerit; an verò pedibus ductus? Posteriori sententia nos subscribimus. Nam 1. Lucas habet verbum ἀναγειν & uterq; Evangelista utitur verbo ἰσημι. 2. Verbum παραλαμβάνειν in Scripturâ sæpè significat circumductionem aliquam, ut patet ex Matth. 1, 20. 2, 14. 20. 3. si diabolus Christo permittente, eum per aëra in sublimi secum duxisset, nimium se quis esset declarasset, quòd ille cum tenet, facere non solet, sed potius transfigurat se in angelum lucis 2. Cor. II. 14. Add. Enthyminus Commentar. in IV. Luc. Anselmus. D. Calovius Bibl. Illustrat. fol. 169. 170. B. Meisner c. l. p. 269.

§. IX. Beda, Origenes, Chrysostomus, Pareus, circumductionem localem à diabolo peractam, quidem statuunt, non autem propriè determinant, quò modò facta fuerit illa circumductio, an per viam, an per aëra. Vid. Beda in Luc. IV. Tom. 2. lib. 1. c. 11. Origenes in Luc. IV. hom. 31. part. 2. Chrysostom. in Matth. IV. hom. 5. Pareus Comment. in Matth. p. 120.

§. X. Tandem alii diabolum per aëra rapuisse Christum dicunt & hanc suam assertionem aliquot rationibus stabilire conantur. Sic enim Cornel. à Lap. Comment. in h. l. fol. 103. Christus ex deserto à diabolo assumptus i. e. raptus est per aëra, in pinnaculum templi. Hoc enim significat verbum assumere & Græcum παραλαμβάνειν & quod sequitur: statuit eum super pinnaculum. D. Gerhard. Not. Posth. p. 208. 209. it. in Explicat. Evang. iisdem verbis utitur, quibus usus est Cornelius, qui diabolum Christum per aëra, rapuisse dicit. Add. Hieronym. Gregorius Papa Autor Imperf. Oper. Glossa Thomas, 3. p. 9. 41. a. 4. ad 7. Tirinus, Büntig. Itinerar. Scripturae Sacr. fol. 13. part. 2. alii.

§. XI. Nos proinde non possumus subscribere illis, qui aut præstigias animo Christi à diabolo objectas, aut per visionem factam agnos-

scu
 dt.

scunt, sed merito facimus eum illis, qui Christum à diabolo aut deduc-
tum, aut per aëra raptum volunt. Etenim diabolum imaginariè Chri-
stum tentasse non credimus, quippe qui non tantum juris in-
teriora Christi habuisse dicimus, licet exinanitio Filii Dei magna esset,
nescimus tamen (verba sunt Chemnizii) an conveniat sentire, diabolum
à prestigiis suis potuisse occupare mentem & animum Christi, ut nescia-
ret, ubi esset, & ita incogitationibus suis falleretur. Neque visionem
concedimus, sic enim tentationes non veræ fuissent, quo enim modo
se per visionem præcipitasset, aut quomodo, cum non revera, sed fal-
sa opinione præcipitatum angeli custodivissent, & quod rem maxime
continet, quomodo falsa opinio præcipitationis Christi animum subire
potuisset? Raptatio per aëra potest tolerari, quæquam paulò duriusculè
dictum esse putamus, nec ex verbis Evangelistarum sufficienter demon-
strari potest; interim si desertum illud Arabiæ Magnum certò adhibea-
tur, propter longitudinem itineris merito ista opinio retinenda, sin verò
Qvarentana desertum credatur, circumductio locum habere possiet. Di-
stat enim Qvarentana à Jerusalem 2. & dim. mill. German.

§. XII. Ductum autem Christum diabolus deinde statuit super
pinnaculum templi, quod & ipsum Tentationis Locus est, quem evol-
vere instituti nostri ratio requirit.

§. XIII. Significat autem πτερυγίον propriè parvam alam, vel
pinnulam, utpote quia derivationem suam accipit à primitivo suo
πτερυξ, quod alam significat & deinde descendit πτερυγίον, quod par-
vam alam denotat. Et putat Palatius in Matthæum illam confectam esse
ex levi metallo laminam, quæ tecto imposta motu suo ventorum fla-
tus indicat, & huc atq; illuc volat. Quemadmodum hodiènum in aliquibus
locis in tectis nonnullis collocatos videmus, quos gallos, vel Germanicè
Wetterhahn appellamus, qui nempe ventos, unde spirent, indicare cre-
duntur. Verùm Evangelistæ & Josephus nullam mentionem faciunt, templo
impositam fuisse ejusmodi alam & sanè omninò absurdum esset, credere,
diabolum Christum super ejusmodi pinnaculum, ventorum indicem, sta-
tuisse. Vid. M. Philippus Rohr Disput. de Pictor. Errant. Cap. 2. sect. 2.
Bibl. X.



§. XIV.

§. XIV. Quare *Barradius* in *h. l.* dicit, *πτερυγίων* hoc sive pinna-
culum significare angulum aliquem, s. extremitatem tecti, & idem esse ac
Hebraicum *און*, quod alam & vestis oram & extremitatem notat, quod-
que septuaginta semper per *πτερυγίων* verterunt v. g. *1. Sam. 24 10. Hagg.*
2. Dent. 22. Ezech. 7. &c. ubi semper extremum s. summum alicujus rei
significat. Et dicit porro, quemadmodum terra 4. habet plagas s. extreni-
tates, ita omne tectum 4. habet angulos s. alas s. extremitates, quæ ce-
naphot dicuntur, unde illud *prov. 21. Melius est sedere in angulo domatis,*
quam cum muliere litigiosa &c. Hebraice est in angulo, gag. h. e. tecti,
quod etiam significat dictio græca *δῶμα*. Statuit ergo diabolus Domi-
num super canepha s. pterygium templi, h. e. super aliquem ex 4. angulis,
quos celsum tectum templi habebat, alis similes, vel supra pinnam ali-
quam templi: ita enim noster vertit interpret *Luc. 4. Ἰνὸς τὸ πτερυγίων*
a. e. super pinnam: eritq; pinna-culum idem quod pinna. Erant enim
palaestinae tecta non nostris similia, sed plana velut solaria ut docet *D.*
Hieron. Epist. 135. ad Suniam & Frevelam.

§. XV. Cujus sententiae est etiam *Iansenius*, qui etsi negare non
potest, pinna-culum dici fastigium s. summitatem ædificii in acumen ten-
dentis, quia veteres pinnam dixerunt quod acutum est, aut quia pinna-
culis addi solet pinna, quæ facili motu ventorum indicet statum; unde
& Græcè dici *πτερυγίων*, quod est diminutivum à *πτερόν*, ala, quod in
morem alarum movetur: verisimile tamen esse dicit, pinna-culum & *πτερο-*
γίων hoc, quum templum non habuerit fastigium acuminatum, accipi
pro superiori parietis & tecti parte, aut angulo aliquo; correspondere
etenim has dictiones Hebraicas dictioni *און* Canaph, quæ cum proprie a-
lam significet, etiam significat omnem rei extremitatem & angulum: unde
quatuor orbis angulos dici eis cenaphim vel cenaphet *Ezech. Add. Chem-*
niz. c. l. p. m. 44. 45. qui ex linguarum fontibus hoc pinna-culum simplicis-
simè intelligi censet & eadem fermè verba habet, quibus *Barradius* &
Iansenius usi sunt.

§. XVI. *Corn. à Lap. in h. l. f. 104.* dicit, pinna-culum hoc templi
fuit fastigium, s. cacumen vestibuli & frontispicii templi, quod erat
ut turre, totum ædificium superans, altum 120. cubitis, ita ut si Chri-
stus inde cecidisset, lapsus fuisset in atrium sacerdotum, quod erat ante
unctum, inter vestibulum jam dictum, & altare holocaustorum.

§. XVII.

§. XVII. Alii per hoc pinnaculum templi intelligi volunt ambitum, qui circa sumamum tectum fuisse dicitur, ne quis ibi ambulans caderet, qualem DEUS omnibus in tectis fieri iusserat Deut. 22, 8. Vid. Maldonatus Comment. in b. l. fol. 90. D. Gerbard. Not. postb. p. 211. Grotius in b. l. D. König Append. Cas. Consc. p. 43. D. Dietericus Anal. Evang. p. m. 101 D. Calovius Bibl. Illustr. f. 170. D. Althoferus c. l. p. 143.

§. XVIII. Nos nolumus huic materiae inhærere, siquidem nihil certissimè determinare possumus, nec interest scire, num istud pinnaculum templi fuerit ambitus, quò cinctum fuisse creditur templum, num in suprema parte templi ex 4. angulis unus, num verò planè non in templo factum fuerit, sed in extremo muro templi, ubi turres exsurrexisse dicuntur in altitudinem eò magis stupendam, quod inter hoc latus urbis in prærupto & arduo monte situm, & montem olearum vallis Josaphat fuisset, lata ac profunda, locus sepulturæ plebejorum, & in illarum turrium unam Christus sublatus fuerit, uti quidam volunt. Quoniam verò Evangelistæ de isto pinnaculo, quodnam propriè fuerit, nihil nobis detexerunt, quid ergò in istis multùm versaremur? Quare simplicissimum fortasse erit dicere, fuisse pinnaculum illud summum aliquod fastigium, locumq; adeò sublimem & periculosum, ut desiliens morti vicinior, quàm vitæ retinendæ non potuisset non existere.

§. XIX. Si quæ fides tamen habenda esset M. Henrico Büntingio, possemus certò pinnaculum templi determinare, quoniam locus fuerit. Ille enim Itinerario scripturae sacrae Part. 1. fol. 38 in med. sic scribit: Auf der Mauren des eussersten Vorhoffs (denn es waren 3. Vorhöffe / so mit hohen Mauren und umbgängen unterschieden waren und den ganzen Tempel rings umbgaben und in den Ecken der Umbgänge und Mauren stunden hohe Thürme) davon Josephus schreibet / daß sie aus dem Thal Cedron in die Höhe zu rechnen / 400. Ellen hoch gewesen / stunden hohe Thürme / darauff waren Sonnenhäuser und lustige Spaziergänge / da man kunte herab in den Tempel und in die ganze Stadt sehen. Und diese Thürme wurden genant / die hohen Zinnen des Tempels und waren so sehr hoch / daß wer von diesen hohen Zinnen hinab gesehen hat in das tieffe Thal / dem ist das Gesicht vergangen / wie Josephus schreibet Antiq. Jud. lib. 15. c. 14. Und auff dieser hohen Zinnen eine hat der Teuffel den Herrn Christum geführt und

D 2

gespro-

Gesprochen: *Wistu Gottes Sohn, so laß dich hinab Matth. IV. Id. ead.*
habet *Part. 2. fol. 14.*

§. XX. Hic proinde Locus secundæ Tentationi à satanâ adversus Christum susceptæ erat destinatus, Locus adeò periculosus, ut si quis de ejus summitate desiliisset, vitæ naufragium iudicio hominum fecisset certissimum. Et hoc horridissimo & periculosissimo loco è deserto deductum Christum collocavit satanas, eumq; verbis eò persuadere annisus est, ut in magna populi frequentia ceu funambulus in excelso pendulus se deorsum ad vulgi spectaculum demitteret. *Dimitte, inquit satanas, ve deorsum.*

§. XXI. Erat tentatio præsumptionis, seu præposteræ confidentiæ, quâ diabolus Christum tentabat. Prius Christum conatus fuerat satanâ in desperationem trahere, quia victu & ordinariis mediis destituebatur: nunc ad inanem & ventosam confidentiam eum sollicitat, ut neglectis mediis quæ ad manum sunt, seipsum projiciat sine necessitate in manifestum discrimen, & quasi extra metas exultet.

§. XXII. Egregia astutia diaboli, qui dum uno tentationis genere superatum se animadvertit, non recedit, sed statim aliâ rem aggreditur viâ. In primâ tentatione sollicitaverat Christum ad diffidentiam, ut nimirum curam Patris cœlestis in dubium vocaret, ipseq; experimentum aliquod divinitatis suæ faceret, quum verò à Christo repelleretur dicente, se fiduciam firmam positam habere in Patre suo cœlesti, qui licet non pane, modo sustentet, varios tamen sustentandi modos noverit, quare fiducia modò opus & auxilium intrepidè expectandum sit. Hæc quum diabolus audiret, Christum usq; adeò pendere à providentia divina, ita ut pro *μυστηρία* sua invenit aliquid, quò præsens signum hujus tantæ fiduciæ in Deum à Christo ostendi desiderat. Benè, quasi inquiring, est mi Domine, & rectè agis, te confidere tuo Patri, etiam omnibus mediis posthabitis, verum non sufficit te ista dicere, melius est factis ostendere: Facile potest quis de hoc, vel illo gloriari, non verò statim verum est, effectus demum rem indubitata reddat. Quare us certius esse possis de fiduciæ in Deo effectu, agedum explora auxilium Patris tui. Hic loco consistis valde sublimi, saltum proinde fac in terram, & te verum Filium DEI esse, nec minus à Patre in maximis etiam periculis illa sum conservari, ostende. Hoc egregio spectaculo omnes admirabuntur, ceque

etq; unanimi consensu pro Filio DEI agnoscent & recipient. Ne vero cogites, hoc fore verbo DEI, quò niteris, adversum, ecce luculentum habes testimonium Ps. 91. Angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollerent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

§. XXIII. D. Aegidius Hunnius c. l. p. m. 110. his verbis loquentem tentatorem introducit: Si Filius Dei es, te demitte hic deorsum, quasi dicat: Tu etiamnum persistis in eà sententià, te eum esse, quem vox è superiori aëre pronuntiavit: hoc autem facilius dicitur, quam creditur ab hominibus. Atverò si te precipitem dares, in conspectu hominum, ne quicquam adversi tibi eveniret, ibi demùm unanimi assensu pro Filio Dei te agnoscerent & reciperent. Et ne forte metuas, id cum aliquo periculo fore conjunctum, en tibi saluum conductum scripturæ testimonio promissum, scriptum est de omnibus Filiis Dei, maximè verò de te, tanquam naturali Filio ejus (si modò vera vox est illa apud Jordanem audita) Mandavit angelis suis de te, ut tollant te manibus suis, ne quando impingas in lapidem pedem.

§. XXIV. Quia heic loci diabolus citat scripturam (quamquam corruptè & mutilatè) possemus quæstionem instituire, Num diabolus sacram scripturam verè intelligat, & quid sentiendum de Hesselio, qui sibi ipsi interroganti, Num diabolus scripturam sacram intelligat, verumq; ejus usum cognoscat? ipse etiam respondet: Diabolum tantum de sacra scriptura scire, quantum illi à Deo permittitur. Item de Abulense in Matt. IV. qui putat, diabolum sacram scripturam perfectè intelligere. Veritatè (inquit) sacra scripturæ perfectè dæmon intelligit. Unde quando falsò & inconvenienter allegat, non hoc facit, quia ignoret, sed quia fallere cupit. Verùm quia curiosa magis, quam fructuosa hæc quæstio, ipsis etiam curiosis inquirendum offerimus.

§. XXV. Nos vidimus satanam, quod omnes vires intenderit, Christum eò deducere, ut è sublimitate loci temerariè defiliret, & saltem istum fore facillimum & tutissimum, angelorum custodiæ confideret. O execrabilis igitur diaboli malitia! O stulta nequitia & insensata versutia! O præsumptio excoecata! putabat malignus, quem diffidentia non vincebat, præposterà confidentia superari posse.

§. XXVI. Quomodo autem Christus hoc ignitum tentationis celum, quò diabolus eum petere satagebat, retuderit (quod quam effi-

facillimè factum esse commemoratur) ratione propositi nostri præter-
eundum, & properandum nobis est ad Tertiam Tentationem, quam
brevioribus verbis considerabimus. Agit proinde

CAPUT III.

DE

Tentatione, quâ diabolus à Christo adoratio- nem sibi exhibendam exposce- bat.

§. I.

AB Urbe Hierosolyma sive templi pinnaculo Christus abducitur à
satanâ. Nihil diaboli doli, technæ, retia, prima, secundaq;
tentatione expiscari potuerunt, nec tamen discedit, sed tertium
adhuc adversus Christum blasphemè insurgit. In reliquis dua-
bus tentationibus Christum ad diffidentiam, & temerariam confiden-
tiam impellere allaborabat, in ultimâ hâc ipsum honorem, soli Deo præ-
standum, efflagitabat.

§. II. Nos antequam tentationis Actum expendamus, recorda-
mur methodi receptæ, & Actui præponimus Locum, quem quidem
proprie determinatum non exprimunt Evangelistæ, sed generaliter
montem, eumq; *excelsum* fuisse unanimiter affirmant. *Iterum*, inquit,
assumit eum (Christum) diabolus in montem excelsum valde, & ostendit
ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei. Hec omnia tibi dabo,
si cadens adoraveris me.

§. III. Quæritur, *Quinam mons fuerit*, in quem satanas Chri-
stum deduxisse perhibetur? Varios autem offendimus interpretes variè
interpretantes.

§. IV. Quidam prætereunt quidem ipsum proprium nomen mon-
tis, interim tamen ipsius situm affirmare non detrectant, dum dicunt,
distare illum montem duobus miliaribus à deserto Quarantana, & vo-
cari montem diaboli, propter horrendum scil. hoc facinus, quod diabo-
lus ibi adversus Christum perpetravit. Vid. *Abulensis in Matth. q. 48.*
Berchardus, Bredenbachius, Adrichemius, Cornet. à Lap. Comment. in b.
l. f. 106.

§. V.

§. V. Quidam existimant, quod, quia Hierosolymam montibus fuisse circumdatam novimus, & secundam tentationem, Hierosolymis in templi pinnaculo peractam, statim excepisse tertiam hanc tentationem in monte aliquo factam, valde vero sit simile, fuisse aliquem Hierosolymæ propinquum montem. *Quis hic fuerit mons, inquit Maldonatus in b. l. fol. 90. quia Evangelistæ non dicunt, neq; scire possumus, neq; sine curiositatis vitio licet inquirere. Illud scimus, Hierosolymam montibus fuisse circumdatam, illud autem etsi nescimus, tamen valde simile vero est, diabolum in aliquem propinquum Hierosolymæ montem duxisse. In quâ opinione etiam sunt Pareus Comment. in b. l. p. 121. D. Alboferus Harm. Evang. p. 443. D. Calovius Bibl. Illustrat. fol. 171.*

§. VI. Rursus quidam dicunt, fuisse montem Pisgam, distantem 6. miliaribus à Jerusalem, in quem vocavit DEUS Mosen, eiq; terram Sanctam conspiceri jussit, quam aliquando Israelitis promiserat. Et hunc montem intelligi probabiliter vel exinde colligunt, quod distare dicitur à Jordane duobus miliaribus, & finitâ tentatione Christus venit ad Johannem in Bethabara baptizantem, Cui sententiæ favent *Beauxamis, D. Glasius c. l. p. 449. Prücknerus c. l. fol. 639. D. Bakius Explic. Evang. p. 64. Christianus Gueinzus Divit. Evang. Dom. p. 442. Büntingius Itiner. S. S. Part. 2. fol. 14.*

§. VII. Nos hæc de re prolixa verba non faciemus, & si vel mille paginas adimpleremus, omnia tamen probabilia, nobis fatendum esset. Quare tacentibus Evangelistis, & nos tacere oportet, dicentes cum *D. Gerharo Explicat. Evang. lit. b. c. 8. Ubi mons ille situs sit, cum non exprimat, nec scrupulosus à nobis inquiratur.*

§. VIII. Quicumque autem mons ille fuerit, & ubicunq; idem situs, docemur tamen, illum fuisse altitudinis tantæ, ut ex eo longè distata conspici potuerint, modò oculus capax accesserit. In hunc igitur montem deducit diabolus Christum, monstrat ipsi omnia mundi regna, eorumque gloriam & magnificentiam, hæc annexâ promissione, se velle omnia libentissimè ipsi donare, dummodò ad ejus pedes sese provolveret, religiosèq; adoraret.

§. IX. Dum autem audimus, diabolum Christo ostendisse omnia regna totius orbis habitabilis, atque omnem potentiam & magnificentiam, & tamen novimus, nullius montis altitudinem esse tantam, unde omnia regna totius mundi conspici possint, ita ut inde monstrari queat

quæ

quæ sit in singulis regnis potentia & gloria, & licet mons aliquis esset tam excelsus, non tamen oculum humanum ad inspectionem omnium, præsertim in momento temporis, posse pertingere scimus, quæritur proinde non immerito, *Quomodo diabolus Christo monstravit?*

§. X. Quidam intelligendum istud putant, non de regnis corporalibus hujus mundi, sed spiritualibus, quibus scilicet diabolus per varia vitia regnat in hominibus, ut unum sit regnum gulæ, alterum luxuriæ, aliud superbiæ, & sic de reliquis peccatorum signis, quæ Christo ostenderit, veluti dicere volens: Si vis regnare omnibus affectibus istis, & in hoc venisti, ut eos, qui sub me sunt, rapias, procide, & adora me, & absque omni certaminis molestia accipe omnes, qui gubernantur à me. Verùm allegorica hæc interpretatio literæ planè non convenit. Vid. *Origen. in Luc. IV. hom. 30. part. 2.*

§. XI. Quidam hanc ostensionem in visione factam esse existimant. Sic enim *Marloratus Comment. in b. l. fol. 19.* Certè hæc fuit visio. Interea memoriâ tenendum, non imbecillitate naturæ Christi esse factum, ut satan illi oculos stringeret, sed voluntaria dispensatione & permisso. Deinde sic tactos & illectos fuisse ejus sensus objecta regnorum gloriâ, ut nulla intus cupiditas animum ejus pupugerit: quùm carnis libidines, tanquam fera indomitæ ad objecta, quæ nobis placent, ferantur, & nos ad ea quasi rapiant. Nam Christus communem nobiscum habuit sensum, non autem appetitus incompósitos. Idem *Marloratus* quando explicat, per punctum temporis indicari brevissimum tempus sic dicit *fol. 202.* Hoc videtur satis ostendere, hæc omnia per visionem quandam, non corporali transvectione, & ostensione esse gesta.

§. XII. Quidam intelligunt, diabolum demonstrasse Christo omnia regna, & gloriam eorum, non quod singula regna & civitates, oculis Christi videnda exhibuerit, sed quod partes terræ, in quibus unum quodq; regnum, vel civitas posita erat, digito demonstravit, dicens: Versus illam partem est Roma, aut Hispania, aut Alexandria: & in illo regno tales sunt divitiæ & honores, in alio verò alia gloria. Vid. *Chrysostr. in Matth. IV. hom. V. Thom. in IV. Matth. Cajet. Carthus. Lyran. Albert. M. Abulens.* Omnium simplicissimè dicitur (inquit *D. Glasius Exeges. Evang. p. m. 488.*) diabolum non ὀφθαλμοφανῶς, sed δευκλιπῶς hic egisse, h. e. digito quasi exerto in 4. mundi plagas Christo commemorasse, quæ versus singula regna fuerint sita, atq; eorum gloriam & poten-

tiam

triam magnam verbis explicuisse. Quam sententiam Serenissimi meū
Principis Augusti, Domini mei Clementissimi, paraphrasis Evangelicā
rurs perquam luculenta exhibet. *D. Calovius c.l. fol. 171.*

§. XIII. Quidam statuunt, non omnia regna ostendisse, sed quæ-
dam, atq; sic synecdochen esse in voce omnia. Sic *D. Pareus Comment. in
Matth. IV. p. 121.* Simplicissimum est, synecdochen intelligere, scripturæ
familiarem, quo omnia sæpe pro multis, totum pro majore parte dicitur,
ut c. 3. 6. Exiit ad Johannem omnis Judæa, pro magna frequentia. Add.
*Maldonatum in. h. l. fol. 90. sub fin. D. König. Append. Cas. Cons. p. 43. D. Ca-
lov. c. 1. fol. 171.*

§. XIV. Rursus quidam dicunt, diabolum representasse in aëre
magnâ agilitate regnorum imagines, quas Christus verè viderit, & licet
ista repræsentatio potuisset fieri Christo non deducto in montem, attā-
men diabolus propterea fecerit, ut ostensionem fictam veræ similem esse
præ se ferret. *Barradius Comment. in h. l. fol. 73. Iansenius c. l. fol. 110. D. Egio-
dius Hunnius Comment. in Matth. p. m. 111. Add. D. Althoferus c. l. p. 143.
144. Job. Priücknerus c. l. fol. 701. Theophylactus in Matth. IV. Corn. à Lape-
e. l. fol. 106. & 107. Grotius in h. l. D. Gerhard. Explicat. Evang. qui quando
quærit: Quomodo diabolus Christo omnia regna mundi, & gloriam eo-
rum, in monte quovis ostendere potuerit, idque in momento temporis;
multis verbis huic quæstioni respondet & amplecti videtur sententiam,
quâ statuitur, ostensionem factam fuisse per repræsentationem.*

§. XV. Nos proinde dum opiniones admodum discrepantes non
solum inter nostros, verum etiam inter alios Theologos videmus & vix
unum, alterumve invenimus, qui suam sententiam firmiter demonstret,
licet aliorum opiniones incommodas esse exponat, & si eligendum, quid
statuat, sibi sit, vero similiorem sententiam esse pronunciet, apodicticè
veram prætereat. Quare confidimus, neminem fore, qui nobis sinistrè
verterit, si & nos heic loci nihil decidamus, sed unicuique suum liberum
relinquamus iudicium. Interim verum quidem est, ostendisse diabolum
Christo omnia mundi regna, eorumq; gloriam, licet modum, an per re-
præsentationem, an verò per realem quorundam regnorum, vel partium
ostensionem, vel alio modo factum fuerit, ignoremus; fortasse produxit
diabolus effictas imagines, tanquam pictor, repræsentantes regna, eo-
rumq; gloriam, & Christo deinde ostendit, aut quasi digito monstravit
4 mundi plagas, & verbis exposuit regnorum magnificentiam, si *εὐστυχῆ*

ἡ ἁπλοῦς pro celeritate, aut agilitate temporis, quasi in momento, accipiatur. Scrupulosè autem id non inquiremus.

§. XVI. Magnam profectò gloriam, ut sunt urbium splendor, gentium multitudo, terrarum pulcritudo, regum, principumque opes, famuli, vestes, chedæ, exercitus, palatia, triumphus, & quicquid speciosum & magnificentum est, quod hominis cor exhilarare, celebremque hominem mundo reddere potest, promittit diabolus, se Christo esse donaturum, hac tamen conditione præsuppositâ, ut saltem ante pedes ejus in terram se demittat, eumque adoret.

§. XVII. Sed ecce egregium mendacem, talia promittentem, quæ præstare non potest. Duplex committit mendacium. Luc. enim IV. ait omnia sibi tradita esse, nos tamen Deum omnium rerum possessorem nominamus *Psal. 2, 12. Job. 41, 2. Dan. 2, 21. Prov. 8, 15. 16. Jer. 27, 5. &c.* Ergo mentiris diabole, à què enim, quando & quomodo tibi tradita sunt? Mentitur etiam diabolus, dum distributionem regnorum sibi adscribit, quod nimirum in potestate habeat, distribuere cuilibet quæcumque velit. Quo gravissimo peccato si se Dominus (quod tamen *ἐκ τῆς ἀδυναμίας* simplicissimè erat,) contaminasset, ad instar vilissimi mancipii diabolus eum despexisset, nec pactis steteret, nec etiam stare potuisset ob antedictam rationem.

§. XVIII. Objicis, dicitur omninò diabolus princeps mundi *Joh. 12.* & rectores mundi demones appellantur *Ephes. 6, 2.* Jam verò principis est habere regna, sibique dicere, donare sua regna cui velit. Quùm itaque & satanas mundi princeps appelletur, necesse est regna possidere & distribuere, cuicumque libeat. Ergo h. l. non mentitur diabolus. Resp. Dicitur quidem diabolus in scripturis princeps hujus mundi, & DEUS hujus seculi: sed id solum propterea, quia dominatur in hominibus, mandata sapientibus & sectantibus, & quia autor est omnis abusus creaturarum, quæ sunt in hoc mundo, nihil habens juris in coelestibus. Verum quoque est diabolum, Deo permittente, dare quibusdam possessiones & honores hujus mundi, his scilicet qui per nefas illa consequuntur, sed aperum mendacium est, dare ipsum hæc, cuique velit, cum nulli dare possit, nisi cui Deus velit dari. Permittente demùm Deo potestatem habuit in Jobum, ut non modò ejus fortunas invaderet ac dissiparet, verùm etiam corpus illius ulceribus horribiliter affligeret & infestaret.

§. XIX. Hæc autem sibi arrogat ista, quæ non nisi solius Dei sunt,

&c.

& falso promittit Christo illa in peculium tradere. Vidisti, quasi diceret diabolus, tot regna, eorumque gloriam, nihilque gloriosum & magnificentum posse excogitari, quod non in illis inveniatur. Et horum singulorum ego sum Dominus, & gaudeo tanta potestate, ut donare mihi liceat, cuicumque velim. Quare te jam constituam Dominum omnium rerum istarum splendidissimarum, creabo te rectorem & gubernatorem totius mundi, modo pro isto favore & singulari magnificentia honorem mihi exhibeas, & prostratus me adores.

§. XX. *Qualem a. cultum adorationis* vult sibi exhiberi a Christo iste negavit? Vox adoratio dupliciter in scriptura sacra accipitur. Primo pro civili & externa reverentia, quam homo homini exhibet, ut *Gen. 33, 3. c. 43, 26. 1. Reg. 20, 41. Exod. 18, 7. 1. Reg. 25, 23. c. 28, 14. 2. Reg. 9, 6. c. 14, 4. Esth. 2, 2. Judith. 10, 2.* Deinde etiam pro religiosa adoratione, quae soli Deo competit, & hinc inde in sacris praecipitur, & observata cernitur, ubi mens fide & spe religiosam Deum, tanquam primum principium & aeternum Dominum, omnisque boni largitorem, & mali depulsores, veneratur.

§. XXI. Diabolus autem hoc loco non civilem honorem & cultum a Christo sibi exhibendum satagit, sed verum religiosum, & non nisi soli Deo competentem cultum desiderat, ita ut religiosè eum adoret, nec aliter agnoscat ac Dominum, a quo omnia unicè dependeant. Ejusmodi autem cultum credere, omninò evidentissimè licet colligere ex oppositione Christi. Nam quum diabolus adorationem posceret, negabat illam Christus, dicendo, DEUM esse adorandum, ipsique soli serviendum. Quibus verbis abundè indicabat, diabolum afflagitasse ab ipso adorationem, soli Deo alias exhibendam. Quemadmodum ergò in reliquis duabus tentationibus ex responsione Christi intentio diaboli petenda est: Ita etiam haec antithesis thesicos argumentum explicat.

§. XXII. Unde *Barradius c. l. fol. 74.* hanc adorationem vocat adorationem latriam, quae soli Deo conveniat, ad differentiam adorationis duliae, quam Pontificii tantum creaturis tribuunt; quae tamen differentia inepta & falsa est, cum scriptura promiscuè & latriam, & duliaam tribuat Deo. Est enim verbale duntaxat, non reale discrimen, non minus, quam inter enssem & gladium. Vid. porro *Jansenius c. l. fol. 117. Cornel. à Lap f. 108. Pareus p. 123. Gerhard. Not. Posth. Chemnitz p. 50. c.*

§. XXIII. Mirari autem, ac demirari non satis possumus, diabolum eò
audere

audaciæ & impudentiæ pervenisse, ut Christum ad defectionem à Deo, & idololatriam, blasphemè sollicitarit. *Speravit inquit Hunnius c. l. p. m. xii. immortalis ille hostis Dei & hominum, posse se promissione Monarchiæ, & blandiente illà specie mundana gloria & potestatis, eò Dominum Iesum percellere, ut propositam conditionem cupide amplecteretur, & spe obtinenda monarchiæ mundi, Deo & Patri suo renunciaret, & in suum juraret obsequium.* O audacia! O puniende serve fugitive, serve flagellande, exterminator bonorum! Domino Dominorum dicis, si cadens adoraveris me? Non valuisti Christum ad diffidentiam sollicitare, neq; quicquam temeraria confidentia effecisti, & jam ad plenariam apostasiam perdere satagis?

§. XXIV. Tibi a. pientissime Christe, Victor gloriosissime, qui atrocissimas hæc tentationes ab hoste infensissimo subire nō recusasti, sed in nostri emolumentum & solatium lubens suscepisti, qui te non habemus pontificem, qui non possis affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absq; peccato, Tibi inquam, perpetuam laudem & gloriam accinimus, Te veneramur unicè, Teq; ad genua tua procidentes animitus imploramus, ut, si quando & nobis cum hoste istolastutissimo congregiendū, reparatam Tuam victoriam clementissimè impertiri ne denigneris. Tibi n. mitissime Jesu, non est incognitum, diabolum mille technas & vias habere, quibus per totius vitæ nostræ spatium, tanqv. leo rugiens, indefinenter nobis insidietur, nosq; pessundare & perditionis implicare laqueis annitatur: Et sequeretur etiam successus felicissimus, si Tu tuam gratiam & auxilium subtraheres, nosq; solos adversus hunc hostem pugnare sineres, procumberemus sanè, & in tartara prolaberemur in æternum discerniendi. Quare congregiendis nobis cum Satana, ejusq; affeclis succurre, & da gratiam, ut eodem medio, Verbo scil. DEI, quò Tu propulstisti hostem, sapiat è Te infestantem, in hac nostra spiritali lucta, nobis unicè utendum recordemur, illud tanquam veritatis baltheum, galeam salutis, justitiæ thoracem, scutum fidei, gladium q; spiritus apprehendamus, & indubitato credamus, quòd sic confortati in Domino per ipsius robur adversus insultus malignorum spirituum benè consistamus, hostibusq; nostris fortiter superagris, æternæ securitatis capitolium transcendamus, quò nulla amplius certamina subeunda, sed pax & tranquillitas erit in secula non finienda, Amen!

Coll. Diss. A 762, univ. 29